

ta [a] anno Domini MCLXXI, mense Iunii, Favenfiam venientes, apud Sanctum Proculum fixere tentoria [b]. Quos cum Faventini et comes Guido Guerra, qui solus eis amicus remanserat verus [c], vellent in [d] transitu fluminis aggredi, Guido de Ram-berto, eorum potestas, et alii natu maiores, ipsos penitus prohibuerunt, dicentes: debere Faventinos multum deferre Bononiensibus, tamquam antiquis amicis, et si semel ce-ciderunt, ut saltem vel sic eorum possent diminuere dolorem. Porro Ravennates, Fo-rplivienses, Cæsenates, Bretenienses, Ariminenses, Populienses [e], Cervienses cum aliis multis castrametati sunt apud plebem Sancti Andreæ in Panigali [f] [A]. Infra VIII dies, mediante Guillelmo de Marchesella, quem Ferrarenses ad nostrum miserunt auxilium, pax, Domino largiente, inter Faventinos et hostes est reformatæ, omnibus et solis [g] ex utraque parte redditis captivis, et Castro Leonis ex omni parte remanente illæsor, cujus occasione, ut dictum est supra, fuerat guerra incepta. Quo Faventini comperto, tristes et dolentes ad mortem, insultum saepissime faciebant in eorum potestatem et Guilielmum de Marchesella atque, alios multos, qui ex aliorum [h] laboribus atque sudoribus, pecuniam consueverint cumulare. Vocabant præterea eos patriæ venditores, propinquorum proditores ac amicorum, et morte dignos turpissima; sed profecto tantus populi rumor et furor, velut fumus, cito evanuit. Nam ubi nummorum perhorat [i] pluralitas, ibi Tulliani tuba [j] raucescit.

*De igne maximo.*

### CAP. LXXXIII.

Eodem anno, mense Julii, combusta est civitas a Sancto Bartholomæo usque portam Ravennatem, et ab ecclesia sancti Petri et sancti Salvatoris usque ad ecclesiam sancti Stephani [B].

[a] *sic manu armata*, C. M.; *sicut manu armata*, C. V. — [b] *fixere tentoria*. Cod. M., *fixere tem-patoria*; C. V., *perperam, frigere temptoria*. — [c] *remanserat verus*, Codd. M. et V.; *remanserat vetus*, legit cl. Mitt. — [d] *vellet in*, Codd. M. et V.; *vellet in*, cl. Mitt. legit. — [e] *Populienses*, C. M.; *Pop-lienses*, C. V. — [f] *Sancti Andreæ in Panigali*. Sic Codd. — [g] *omnibus et solis*. Sic C. M., in quo bis repetitur *solis*. In C. V., *omnibus et suis*. — [h] *qui ex aliorum*. Qui deficit in Codd.; sed suppleri debet ex cl. Mitt. monito. — [i] *perorat*, C. V.; *perhorat*, C. M. — [j] *Tulliani tuba*. Sic Codd. An legendum *Tulliana tuba*?

[A] *Sancti Andreæ in Panigali*, sive *Panicale*, fit mentio in charta anni MCXXVIII, penes Archiv. Azzur; et ex ea colligitur, eam paroeciam fuisse subter stratum Æmiliam; putoque esse Sanctum Andream Sancto Petro in Lacuna conterminum.

[B] De loco, ubi porta Ravennas erat, jam alibi verba fecimus. Reliqua loca hic memorata eodem resident adhuc loco, quo tunc.